

§ Hic ego pernocto sex annis et quater octo,
Nec iuvor introitu: 'Surgens lectum fer, et i tu'¹.

Hierauf Liebesgedichte:

Virgo decora, michi cum sis nova causa doloris,
Virgo decora, michi sis consolamen amoris,
Virgo decora, michi facilis precor esto precanti,
Virgo decora, michi peto des medicamen amanti.

5 Regia res, miserere mei, michi compaciendo,
Regia res, miserere mei, mala nostra videndo.

Regia res, miserere mei, quem sola peruris,
Regia res, miserere mei, qui defluo curis.

Iam morietur amans, cum tot mala ferre gravetur,

10 Iam morietur amans, nisi te solante levetur,
Iam morietur amans, quem cura diurna fatigit².
Iam morietur amans, cum me venus improba figit.

§ Littera vade cito, cito iam quod amamus adito,
Littera vade precor, non est hic transitus equor³,
Non iter est longum, non est timor inter eundum.
Tutus eat lator, nullus latet insidiator.

5 Littera, festines nostros excedere fines,
Nec faciendo moras domine properabis⁴ ad oras.
Tu melius Geta sapis interferre secreta.

Abdita que celas, cui scis revelanda revelas.
Credita dum tradis, nichil aufers, et nichil addis.

10 Ut quid agam dicas, aures pulsabis amicas:
Cetera que mando, refer illi consiliando,
Cum te tractabit, cum solverit atque ligabit,
Cum tibi labra dabit, cum basia multiplicabit.
Cum⁵ tibi ridebit, cum te sinus eius habebit.

15 O utinam fieret, si me sinus eius haberet,
Si michi labra daret, sic basia multiplicaret,
Sic michi rideret, sic me sinus eius haberet!

§ Fidus amicus here mandat sine fine valere,
Vivere, letari, felici laude beari.

Quantum precellas iusta ratione puellas,
Dicere quis poterit? minime mea lingua silebit.

5 Sola meorum dulcis amorum fomes aveto!
Flos paradisi, que tibi misi scripta teneto.
Te ditat, te nobilitat series proavorum,
Magnificant te, glorificant insignia morum.
Dilexi plures, sed te solam super omnes,

10 Vultus candore quoniam cunctas et amore
Tu superare soles. Est et tibi regia proles.

1) Ev. Joh. 5, 5. 8.

2) Verbessert vom Schreiber selbst statt

'fatigat', dem Reim zu Liebe.

3) D. h. das Meer.

4) 'probabis' Hs.

5) Hier beginnt fol. 191.